

THEOD. Id experientia iis in locis testatur, in quibus terræ adeo vaporosæ inveniuntur; ut in cavernis, & foveis quibusdam, aquæ pluvix incidentes, à terræ halitibus statim moveri, & more acidularum ebullire incipiant.

AUREL. Cur vapores illos vocas aluminosos, & Sulphureos?

THEOD. Istud ex sapore, & odore harum aquarum plane ac plene deprehenditur.

AUREL. Cur addis: aquas eas imbutas vaporibus aliis Mineralium, & metallorum imperfectorum?

THEOD. Quia separati ab illis liquoribus terreni pulveres, in mineralia, aut metalla perfecta redigi non possunt. Generantur itaq; non ex metallis, aut mineralibus: Sed ex ipsorum radicibus, & seminibus quasi primigeniis; cavernis terræ inclusis, ingenitis & congeniis.

AUREL. Cur non medicatas dicis acidulas, sed potius vim quandam obtinere medicam adseveras?

THEOD. Quia per se & natura sua potui maxime conveniunt, & citra ventriculi læsionem, ad lubitum bibuntur: ac tantummodo in quantitate maiore, & temporis spatio longiore, modo convenienti haustæ, medicantur acidulæ.

AUREL. Unde vero vim illam medicatricem existere auras?

THEOD. A balsamis illis metallaribus, quibus tinctæ & imbutæ sunt acidulæ.

AUREL. Sed quisnam earum usus? quæ vis? quæ efficacia?

THEOD. In morbis biliosis, & febrilibus præcipue potus loco adhibentur, nec ut aliæ aquæ, ventriculum gravant, & lædunt. Nam dyscrasiam calidam corrigunt, Bilis concitata, æstuantis ac ferocientis impetum, fervorem acrimoniam, & malignitatem seu virulentiam obtundunt, & frenant.

AUREL. Sed quis fit, quod tantum periculi à bile nobis metuendum?

THEOD. Bilis sua natura mordax, & fervida, alimentis calidioribus, potu, corporis animiq; motu, aeris qualitatibus adversis facillime concitatur, ebullit, & excandescit; inque venulas hepatis, mesenterii, aliarumque partium diffunditur. Ac sane in illis tenuioribus, angustioribus, ac imbecillioribus venulis obstructa, & occlusa corrumpitur, & adurit: hinc reliquorum humorum depravatio & inflammatio hinc maxime morbi originem trahunt.

AUREL.

*Acidule  
in morbis  
biliosis &  
febrilibus  
præcipue  
locum ha-  
bent.*

*Bilis, mul-  
torum  
morborum  
fomes.*